



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. VI. De Vigilijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)



Feria Octavarum Paschæ & Pentecostes. *a.* de quibus fit Officium, ut in propriis locis ponitur.

*Z.* Nempe Feria quinta, sexta & Sabbatum, quæ ritu Duplici celebrantur, ideoque novem Psalmos, totidemque Lectiones habent.

*A.* Sed hæ exceptione opus non habuissent, cum tanquam dies infra Octavam ritu Semiduplici vel Duplici celebrentur, atque adeo inter Ferias propriè dictas, de quibus hoc loco agitur, non sint numerandæ.

*V.* Quomodo ordinandum sit Officium de Feria ad Matutinum, & alias Horas, item de Lectionibus & Responsoriiis, & quando dicendæ sint Preces feriales, ac de aliis, quæ ad Officium Feriæ pertinent, habentur inferius de singulis propriæ Rubricæ.

## TITULUS VI.

### DE VIGILIIS.

**I.** **D**E Vigiliis *b.* fit Officium in omnibus Vigiliis per annum, quæ jejunantur, ubi in Calendario annotatur hæc vox *Vigilia*, nisi in die Vigiliæ occurrat Festum novem Lectionum vel Octava; tunc enim in Officio novem Lectionum legitur nona Lectio de Homilia Vigiliæ, & fit commemoratio de ea ad Laudes tantum cum Antiphona *Ad Benedictus*, & Versu Feriæ occurrentis de Psalterio, & oratione Vigiliæ, præterquam in illis Festis Majoribus, *c.* quæ inferius excipiuntur.

*B.* Sic vocabantur olim Profesti dies, quia Christiani de nocte in iisdem vigilare & psallere, & jejunare de die consueverant; quâ tamen vigilandi consuetudine ob graves causas sublatâ, Vigiliæ nomen cum jejunio retentum est.

*C.* Puta in Duplicibus primæ Classis, & Ferijs Majoribus, in quibus nulla fit commemoratio de Vigilia, nisi de Vigilia Epiphaniæ, quæ privilegiata est.

II. Si



II. Si Vigilia occurrat in Dominica, de ea Officium in Sabbato, quod non sit impeditum Festum novem Lectionum; quia tunc de Vigilia fit tantum commemoratio, ut dictum est. Excipitur ab hac regula Vigilia Nativitatis & Epiphaniæ Dominicæ quæ si venerint in Dominica, fit de illis, uti in proprijs Rubricis dicitur. *d.* Si autem in Vigilia occurrat Festum: solemne alicujus loci, vel ex solemnioribus infra annum, quæ inferiùs in Rubrica commemorationibus numerantur (veluti, si in Vigilia S. Joannis Baptistæ venerit Festum Corporis Christi) nihil tunc prorsus, nec commemoratio de Vigilia, *e.* exceptâ Vigilia Epiphaniæ. Idem servetur, quando aliqua Vigilia venerit in Adventu, Quadragesima, aut Quatuor Temporibus; nulla enim in illis Ferijs de Vigiliis fit commemoratio.

*D.* Quia hæ Vigiliæ sub Semiduplici & Duplici ritu celebrantur, ideoque Majores vocantur.

*E.* Nisi ex Ordinarij dispositione jejunium cum Vigilia in antecedentem diem transferatur, uti in aliquibus Diocesis contingit, & ut in omnibus fieret, valde optandum esse, ait Gavantus f. 3. c. 7. n. 3.

*F.* Eò quòd Feriæ Majores sint Feriæ Domini; Vigiliæ autem Feriæ Servorum, quæ proin meritò cedunt, inquit Gavantus l. c. n. 4. cum de utrisque non possit fieri Officium eò quòd utrumque Homiliam cum Evangelio habeat, non quam autem in Festo trium Lectionum duo Evangelia dicitur soleant. Verùm hæc ratio solùm probat, quòd Evangelium & nona Lectio de Vigilia dici non debeat; non autem excipit, quòd non saltem commemoratio in Laudibus de Vigilia fieri posset, sicut interdum de Simplicibus Festis, si nona Lectio de ijsdem ob justam causam dici non possit, tamen commemoratio in Laudibus. Dicendum ergo erit, hoc speciale privilegium, aut potius requisitum Vigiliarum esse, si de ijs Officium aut nona Lectio dici non queat, etiam commemoratio de ijsdem omittatur.



III. Officium Vigiliæ incipit ad Matutinum, sicut dictum est in Superiore Rubrica de Ferijs; terminatur autem ad Nonam, quia Vesperæ sunt de sequenti Festo.

IV. Officium Vigiliæ totum fit de Feria occurrenti, ut in Psalterio; & tres Lectiones leguntur de Homilia in Evangelium Vigiliæ, ut in propriis locis assignatur, g. cum tribus Responsoriiis de Feria occurrenti, ordine in Rubrica de Responsoriiis præscripto. Dicuntur Preces Feriales h. & Commemorationes communes, aliâque omnia, sicut in Feriis Adventûs, Quadragesimæ, & Quatuor Temporum: de quibus & de aliis circa ordinandum ejus Officium habentur inferiùs propriæ Rubricæ.

G. In proprio videlicet Sanctorum, aut in defectu hujus in Communi Sanctorum.

H. Sic dictæ, quia in solis Ferijs dicuntur, & nihil aliud sunt, quàm Versiculi quidam & Responsorii post Cantica in Laudibus & Vesperis, in Minoribus verò Horis post Responsorii brevia dici soliti.

V. Excipitur ab hoc Ordinario Vigiliarum, quæ jejunantur, Vigilia Pentecostes, quæ cum tribus Nocturnis sub Officio Semiduplici celebratur, ut ibi; & Vigilia Nativitatis Domini, quæ, Nocturno Feriæ excepto, in Laudibus & Horis habet reliquum Officium Duplex. In Vigiliis verò Epiphaniæ & Ascensionis, quæ non jejunantur, fit Officium, ut propriis locis notatur.

## TITULUS VII.

### DE OCTAVIS.

I. **D**E Octava fit Officium, vel saltem commemoratio (quando aliquo Festo vel Dominica impo-

impe-